



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

682. An Vicarius generalis ratione sui vicariatûs habeat potestatem conferendi beneficia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

independenter ab Episcopi denominatione, quales sunt Archidiaconi. *c. i. de off. Archid. c. ut singuli. de off. Archipresb.* Sed horum jurisdictio hodie dum ferè extincta est. Castrop. *loc. cit. p. 30. n. 1.* Vicarius foraneus dicitur, vel quia extra fores seu civitatem, in qua Episcopus residet, constituitur; vel potius, quia forum, & iudicium non generale, sed speciale tenet; v. g. constitutus pro oppido, vel oppidis aliquibus. Castrop. *loc. cit.* Vicarius à lege constitutus seu generalis, qui pro tota diocesi ab Episcopo nominatur. Castrop.

3. Respondeo ad secundum: jurisdictio Vicarii foranei est delegata. Argumento *c. super questione, de off. Deleg.* Castrop. *loc. cit.* dicens sic ferè omnes sentire. Jurisdictio autem Vicarii generalis juxta communioem est ordinaria; tum quia tribunal idem est episcopi & Vicarii hujus, & non datur à Vicario generali ad episcopum appellatio; tum quia facta episcopi nominatione, jurisdictio ab ipsa lege conceditur. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *p. 2. l. 3. c. 43. per tot.* Barb. *de potest. Episcopi. alleg. 54. d. n. 1.* Molin. *tr. 5. de just. d. 20.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 29.* hæc breviter in ordine ad seq. q. alibi ex professo, vide tantisper Garc. *p. 5. c. 8.*

*Questio 682. An Vicarius generalis ratione hujus sui Vicariatus habeat potestatem conferendi beneficia?*

1. Respondeo negativè; sed eger ad hoc speciali concessione: illi enim ex concessione Vicariatus concessa solum est Episcopatus administratio, in his, quæ necessitatis sunt & utilitatis. Unde & instituere & confirmare potest presentatos & electos ex generali mandato; quia hæc sunt iustitia & necessitatis, juxta dicta aliàs: non autem conferre; quia beneficiorum collatio est quædam donatio libera, & cui concessa est bonorum administratio, etiam libera, non est concessa per hoc bonorum donatio. *c. ult. de off. Vicar. in 6.* Castrop. *loc. cit. n. 2.* Tond. *in qq. benef. p. 2. c. 118. n. 5.* Parif. *de resign. l. 9. q. 7. n. 32.* Pirh. *de off. Vicar. n. 49.* cum communi. Proceditque id ipsum, etiam si ad solum Episcopum pertineat, consensum præstare in collatione alicujus beneficii, ita ut non possit à Vicario, non habente ad hoc speciale mandatum, suppleri. Castrop. *ibid. n. 3.* citans Rebuff. *in pr. de Vicar. Episcopi. n. 9.* Barb. *ubi ante. n. 61.* Gratian. *discept. for. c. 303. n. 1.*

2. Sed neque ex hoc generali mandato, & concessione Vicariatus potest præsentare ad beneficia, quorum præsentatio ad Episcopum spectat; quia & hæc est liberalis gratia, & veluti quædam donatio. Pirh. *loc. cit. n. 52.* citans Sbrothium *l. 2. q. 100. n. 2. & seq.* Item nequit eligere, dum electio spectat ad Episcopum. Pirh. *ibid.* Sbroth. *loc. cit. q. 30. n. 5.* Neque etiam potest recipere, etiam liberas, resignationes beneficiorum; multoque minus ex causa permutationis. Castrop. *cit. n. 3.* citans Rebuff. *ubi ante. num. 104.* Riccium *in pr. resol. 471.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 29. q. 4.* Garc. *p. 11. c. 4. n. 14.* Parif. *de resign. l. 7. q. 24. n. 3.* sed de hoc alibi.

3. De cæterò posse Vicarium Generale ratione Vicariatus sibi concessi sine speciali mandato, interim, dum beneficium vacat, & non providetur de Rectore, vel Rector impeditus est, constituere Vicarium, qui beneficium regat, & animarum curæ prospiciat; quia hæc designatio rectæ Episcopatus administrationi necessaria est, & non est col-

latio, cum communi & alibi dictis tradit Castrop. *loc. cit. n. 4.* ubi tamen addit, si ob imperitiam, & à fortiori ob depravatos mores Rectoris constituendus esset Vicarius, id Vicarium generalem non posse ex generali mandato; cum ex generali mandato non possit beneficiatos privare exercitio sui muneris, & alios in eo subrogare. citat pro hoc Covarr. *l. 3. var. c. 20. n. 7.* Barb. *de potest. Episcopi. l. 3. alleg. 54. n. 73.* Sbroth. *de Vicar. Episcopi. q. 112. n. 2.* Pur. *de off. 239. n. 2.* Argumento *c. licet. de off. Vic. in 6.*

4. Porro quod dictum de Vicario Episcopi, eum non posse sine speciali mandato conferre beneficia, idem dicendum de Vicario constituto in Urbe à Papa, censet Garc. *cit. c. 8. n. 182.* citans Pavin. *p. 2. q. 10. n. 19.* Rebuff. *tit. de forma Vicar. n. 16.* Gamb. *de off. Leg. l. 3. num. 708. & c.* contra Coraf. *p. 2. c. 1. n. 17.* atque Garc. *n. 183.* id procedere, etiam si dictus Vicarius esset Cardinalis, citatque pro hoc Rebuff. *ubi ante. n. 64. & 70.* Gamb. *loc. cit.* Baldum *in l. aliquando. ff. de off. procons. subdit etiam Garc. n. 186.* Cardinalem tamen factum Legatum Urbis, Papà ab ea recedente, posse conferre beneficia intra limites legationis consistentia, etiam Urbis, nisi obstat reservatio; & sic contrarium esse in Cardinale Legato Urbis, quam in Cardinale Vicario Urbis; citat pro hoc Bald. Rebuff. contra Gamb. supra *n. 702.* qui nequidem hanc potestatem conferendi Cardinali Legato concedit sine speciali mandato.

*Questio 683. An Vicario, & quali specialiter concedi possit, & soleat collatio beneficiorum?*

1. Respondeo primò: Vicario foraneo non solere; sed nec posse id concedi ab Episcopo, communis habet sententia, pro qua à Castrop. *n. 5.* citantur Gl. *ult. in c. statutum. de prob. in 6.* & in *c. deliberatione. de off. Deleg. in 6.* Rebuff. *loc. cit. ex n. 15.* & plures alii apud Covar. *l. 3. variar. c. 20. n. 6.* & sic expressè docet Pirh. *de off. Vicar. n. 50.* Item Laym. *in c. cum in generali. de off. Vicar. n. 3.* ubi datà operà loquor de Vicario generali; nam alteri neque in specie, neque in genere vacatura, beneficia conferendi potestatem Episcopus aliisque Ordinarium præter Papam committere potest: citatque pro hoc Abb. *in cap. constitutus. de concess. prob. Sbroth. l. 1. q. 52. n. 2.* Hoc tamen ipsum intelligendū, ait Castrop. de potestate conferendi beneficia totius diocesis; de potestate namque conferendi beneficia alicujus loci, non videri sibi, cur committi nequeat Vicario foraneo episcopi, tamen si generalis non sit, citatque pro hoc Sbrothium *l. 1. q. 53. n. 5.* & Garc. *p. 5. c. 8. n. 125.* ubi ait: Vicario generali certi loci posse potestatem concedi conferendi beneficia illius loci, licet aliàs non sit Vicarius Generalis.

2. Respondeo secundò: posse Vicario Generali concedi hanc facultatem conferendi beneficia, habet communis Castrop. *cit. n. 3.* Garc. *n. 119.* id omnino supponens. Quin & Castrop. *ibid.* ait, ferè semper solere illi concedi hanc facultatem. Porro ad hoc, ut Vicario committatur hæc potestas, non requiritur, ut sit quoque Vicarius in temporalibus, ut volunt Pavin. *de potest. Capit. Sede vac. q. 10. num. 31.* Rebuff. *l. c. num. 8.* Sbroth. *l. 2. q. 90.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 43.* apud Castrop. Sed sufficit esse Vicarium Generale in spiritualibus, juxta subiectam materiam collationis beneficiorum, quæ spiritualis est, Garc. *num. 122.* Castrop. *num. 6.* citans